

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Christiani Mündenii S. Theol. D. Et In Acad. Ivlia Prof. Ord.
Selectae Theses Theologicae Vniversam Doctrinam
Christianam Exhibentes**

Muenden, Christian

Helmaestadii, 1730

VD18 13487477

**Caput Secundum De Triplici Statu Hominum In Ecclesia Ecclesiastico, Politico,
Et Oeconomico Seu Domestico, Singulorumque Officiis.**

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)
[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-201546](http://urn.nbn.de/gbv/ha33-1-201546)

LIBRI QVINTI

CAPVT SECUNDVM

DE

TRIPLOSTATV HOMINVM
IN ECCLESIA

ECCLESIASTICO, POLITICO, ET
OECONOMICO SEV DOMESTICO,
SINGVLORVMQVE OFFICIIS.

§. I.

Omnes et singuli, qui ad ecclesiam visibilēm pertinent, eamque constituant, homines, triplici respectu considerari possunt; et quidem *in relatione* (1) *ad ipsam ecclesiam*; (2) *ad politiam*, siue *ad statum rei publicae*, in qua est ecclesia, *politicum, externamque vocationem*; et (3) *ad vniuersitiusque familiam*, et *statum familiarem*. Primo respectu in ordinem vel *docentium* sunt referendi, vel *audientium*, seu ad salutem erudiendorum, ac ducendorum: altero aliī praesunt, ac *magistratus* munere in re publica funguntur; aliī vero *subditi* sunt, *ciuesque* appellantur, intuitu generis, conditionis, artium ac opificiorum, opum et facultatum discernendi: tertio denique vel *in coelibatu* aut *viduatu* viuunt, vel in *coniugio*,

gio, vt mariti, et vxores ; vel parentes sunt, vel liberi ; vel domini, vel serui. Singulis sua sunt officia specialia , quae homo christianus salua conscientia intermittere non potest.

§. II.

Docentium ordo in scholasticum dispesci potest, et ecclesiasticum. In *scholis enim et academiis iuuentus non tantum ad multarum rerum scientiam, sed, aequa ac in ecclesiis, ad veram fidem vitamque sanctam est erudienda.* Nec ob docentium et discentium vitia ipsae damnanda sunt scholae et academiae , sicuti eandem ob caussam ministerium ecclesiasticum non est abrogandum. Ecclesiae vero doctoribus propria est, verbum Dei in templis publice , ea, qua legatos summi numinis decet , ratione tractandi, peccata aliis, vel remittendi, vel retinendi, et sacramenta rite dispensandi, prouincia.

§. III.

Diuinam ministerii ecclesiastici originem ac institutionem, sacrae literae euidenter confirmant ; (*Ioh. XX. 21. sqq. Matth. XXVIII. 19. Marc. XVI. 15. Eph. IV. 11.*) eiusdemque necessitatem , quodue pro singulari benignitatis ac misericordiae diuinae argumento habendum sit, quotidiana experientia docet.

§. IV.

§. IV.

Qui publico in ecclesia docendi munere defungi recte possunt debentque, rite primum *vocandi* ac *constituendi* sunt, et ita quidem, ut, cum hodie ministri ecclesiae non immediate a Deo vocentur, quod in veteri nouoque testamento aliquando factum esse legimus, *ecclesia* eos, qui verae pueraeque doctrinae serio et ex toto pectore addicti, morumque probitate et integritate prae caeteris conspicui sunt, (2. Tim. II. 2.) *eligat*, electos aliis ecclesiae doctoribus ad profectuum donorumque explorationem fistat, quod *praesentationem*, et examinatis munus ipsum demandet, quod *vocationem* specialiori sensu appellant.

§. V.

Vocatio ministrorum ecclesiae alias diuidi solet in *internam*, et *externam*; et haec in *diuinam* ac *legitimam*, et *mere humanam*, hoc est, malis artibus, et consiliis impetrata. *Diuina* autem *vocatio* est vel *immediata*, vel *mediata*, (act. XX. 28.) quae rursus in *ordinariam*, vel *extraordinariam*, cuiusmodi *vocationem* b. LUTHERO vindicamus, dispesci potest.

§. VI.

Evidem patronis ecclesiae circa ministro-

L 4

rum

rum verbi diuini constitutionem praecipuum quid concedi potest, et *ius nominandi ac praesentandi* tribui, si iure suo rite vtantur, nec, suo inhiantes commodo, salutem gregis pascendi susque deque habeant: ecclesiae tamen consensus etiam requiritur, nec iniuitis vñquam minister ecclesiae est obtrudendus.

§. VII.

Quando autem minister ecclesiae rite electus est et vocatus, accedente summi magistratus, vñbicunque requiri potest, confirmatione, in ordinem sacrum praemissa admonitione, manuumque impositione, et iunctis precibus est recipiendus. Quam *ordinationem*, ut ritum in ecclesia apostolica, immo etiam in veteri testamento iam receptum, pi- um atque salutarem, merito retinemus. Eandum vero a solis episcopis, quos presbyteris iam in primitiua ecclesia superiores fuisse, et potestatem ordinandi iusta successione ab apostolis accepisse, statuunt Romano-catholici, rite fieri posse; itemque *characterem* per ordinationem episcopalem imprimi *indeleibilem*, aut physicam quandam qualitatem produci, simpliciter negamus. Eam enim, quae ministro ecclesiae in sacro munere competit, potestatem, non ab ordinatione, sed a vocatione prouenire, et cessante vocatione, rursus cessare, contendimus ac docemus.

§. VIII.

§. VIII.

Finis ministerii ecclesiastici aliis non est,
*quam *salus* hominum *spiritualis*, vt homi-*
nes de vera ad Deum perueniendi via, deque
ordine salutis diuinitus constituto, fideliter
recteque erudiantur, ab omnis generis pec-
catis serio auocentur, ad poenitentiam et
fidem in Christum rite perducantur, in fide
et vita spirituali solicite conseruentur, neces-
sariis admonitionibus et consolationibus
prudenter instituantur et erigantur, atque
in verae fidei et sanctitatis haud infuscatae
studio semper proficientes, et ad finem vs-
que vitae perseverantes, salutem aeternam
consequantur. (2. Cor. V. 20. Eph. IV. 12.
sqq.) Ex quo etiam constat, potestatem mi-
nistrorum ecclesiae nullo modo esse tem-
poralem, (Luc. XXII. 25. 26. 1. Petr. V. 2. 3.)
*sed tantum *spiritualem*, nullamque esse ali-*
*am, quam veritatem caelestem, homini sal-
uando scitu credituque necessariam, qua cre-
denda et agenda, publice docendi, profi-
tendique, et tuendi, sacramenta admini-
strandi, peccata denique vel remittendi, vel
retinendi ac redarguendi, siue promissio-
nes, et comminationes diuinas, non solum
annunciandi, sed etiam ad singulos, pro
diuerso eorundem statu, efficacissime appli-
candi.*

§. IX.

Quamuis etiam ministri ecclesiae iure diuino omnes inter se sint aequales, et sacra scriptura discrimen inter episcopos et presbyteros plane ignoret, solamque inaequalitatem seu diuersitatem functionum, aut donorum admittat ; (*I. Cor. XII. 28. sq. Eph. IV. II.*) iure tamen ecclesiastico munera et dignitatis inaequalitas quaedam est introducta, ut alter alteri sit praepositus, et facile admitti potest, modo episcopatus, siue inspectione, seu munus superintendentis, suis circumscribatur limitibus, nec cum essentialibus accidentalia confundantur.

§. X.

Officia autem ministrorum ecclesiae sunt, (1) tam arduum tamque sublime munus, non, nisi praevia legitima vocatione, suisque viribus probe exploratis, susciperre; (2) gregem fidei suae commissum, ea, qua par est, ratione, ex sincero in Christum eiusque membra amore, pascere, eumque in finem accuratam gregis sui habere notitiam, et nullam non impendere operam, ut suum cuique pabulum iusto tempore praebeatur; (3) exemplo non minus, quam voce auditores erudire; et (4) indesinenter pro illis orare.

§. XI.

E contrario *auditorum officia* sunt, (1) Deum

Deum ardentissimis implorare precibus, ut fidos prudentesque doctores ecclesiae mittat ; (2) legitime vocatos et constitutos pro dispensatoribus mysteriorum diuinarum habere , verosque a falsis discernere pastores, et illorum doctrinam, ceu verbum Dei, cum omni mansuetudine et obedientia recipere, atque exemplum probosque mores imitari ; (3) ea, quae ad vitam honeste sustentandam necessaria sunt , illis supeditare ; et (4) pias pro illis preces fundere.

§. XII.

Intuitu politiae, formaeque rei publicae, in qua ecclesia est, externae, certi quidam homines *magistratus* munere funguntur, penes quos summa est potestas ; reliqui omnes qui tanquam membra reipublicae spectantur, et, siue clerici sint, siue laici, potestati *magistratus* subiecti sunt, *subditi* appellantur ; quo nomine etiam *magistratus* inferiores comprehenduntur, intuitu summorum imperantium. *Magistratus* autem christianus est *ordo a DEO constitutus, non ad externam solum tranquillitatem conseruandam, verum etiam ad gloriam nominis diuini promouendam, cultumque Dei externum dirigendum.*

§. XIII.

Evidem per homines primum respublicae

cae, seu societates hominum maiores, sunt introductae, summumque imperium est constitutum: earundem tamen constitutionem quin deus voluerit, et approbauerit, dubitari non potest. Quapropter et ἀνθρωπίνη πτίσις vocari potest, (i. Petr. II. 13.) et diatāγὴ τῆς Θεοῦ. (Rom. XIII. 2.)

§. XIV.

Deum etiam, et quandoque immediate summum imperium contulisse, (Exod. III. IV. Deut. III. 28. i. Sam. IX. 15. XVI. 12.) et in quauis ciuitate mediate per homines conferre, siue per successionem id fiat, siue per electionem, (prou. VIII. 15. Dam. IV. 32.) sacrae testantur literae, ut nulla potestas summa sit, nisi a Deo. (Rom. XIII. 1.)

§. XV.

Munus imperandi, si in se spectetur, nihil vitii inuoluit, et, si recte administretur, cum hominis christiani officiis plane non pugnat, potius pulcherriam praebet occasionem, virtutes christianas maiori cum fructu et feliciori successu exercendi. Nihil itaque obstat, quo minus homo vere fidelis, salua conscientia, magistratus munere defungi queat.

§. XVI.

Finem sibi propositum ut magistratus consequi

sequi possit, *iura* ipsi competunt *majes̄tatica*, ex quibus nobis potissimum commemorandum venit *ius circa sacra*. Hoc neutiquam versatur circa ipsam doctrinam caelitus reuelatam, docendique rationem; sed tantum circa externa, quae a Deo non diserte praescripta sunt, recte dirigenda, ut vera religio conseruetur, mediisque legitimis promoueatur, nec tranquillitas reipublicae simulatione religionis turbetur. Complectitur itaque ius circa sacra potestatem, (1) ministrorum ecclesiae electionem dirigendi ac confirmandi; (2) scholas et academias erigendi, et praeceptrores ac professores constitueri; (3) leges condendi ecclesiasticas, seu normam agendorum in scholis et ecclesiis praescribendi, et, ut leges illae seruentur, scholas et ecclesiias visitandi; (4) corruptellas ecclesiae corrigendi et emendandi, haereticos et seductores coercendi, disputationibus theologicis certos limites praefigendi, concilia conuocandi et dirigendi; denique (5) bona ecclesiastica dispensandi. Quae omnia per *forum* aliquod *ecclesiasticum*, quod *Consistorium* vocare solemus, a summo imperante rite constitutum, dirigi ac gubernari possunt.

§. XVII.

Officia imperantium sunt, (1) potestate sua, omniue iure suo, non ad prauas cupida-

ditates explendas abuti, sed legitime vti ad salutem publicam, quoquo modo promouendam, cui priuata commoda nunquam sunt praeferenda : (2) debitam ecclesiae, veraeque religionis habere rationem, et omnia consilia et cogitationes ad veram ecclesiam conseruandam, tuendam, ac propagandam conferre, ita tamen, vt conscientiis non vis inferatur : et (3) non minus exemplo, quam legibus, ciues ad sincerum pietatis, iustitiae, et temperantiae studium inducere.

§. XVIII.

*Ciuium contra officia sunt, vel generalia, vel specialia. Generalia sunt, vt (1) summos imperantes, etiam impios, debito honore prosequantur ; (2) in omnibus rebus licitis sincere protemque illis obsequantur ; (3) tributa soluant ; et (4) preces pro iis fundant. Specialia autem officia, magistratui praestanda, ex singulari fluunt statu et ordine, in quo subditi sunt constituti, siquidem alii in *sacro*, alii in *civili*, alii in *militari* ordine, iussa magistratus exequi tenentur.*

§. XIX.

Diuersi porro inter ipsos ciues dantur ordines, diuersa vitae genera et instituta, diuersae conditiones. Hinc alii sunt *nobiles*, alii *literati*, alii *mercatores*, alii *artifices* et *opifici*.

opifex, alii *diuites*, alii *pauperes*. Singulis illis sua obseruanda sunt officia specialia, quae ex generalioribus praeceptis, supra commemoratis, vltro fluunt, et facili negotio deduci possunt. Id homini christiano potissimum curae cordique sit necesse est, ut vitia et peccata, singulis fere ordinibus propria, omni cum studio fugiat, caueatque, ne prauis aliorum exemplis et moribus se ad peccandum abripi patiatur, neue aliorum peccatorum particeps fiat.

§. XX.

In relatione ad familiam statumque familiarem si spectentur homines christiani, primum in *coelibatu* vel *viduatu* viuunt alii, alii in *coniugio*. Et illi quidem omnem vitare debent impuritatem, eoque maiori cum studio caelestia curare, quo paucioribus rebus terrenis sunt impliciti et impediti. Ad coelibatum vero nemo cogendus est, ne clericus quidem, nec coelibatui ullum tribendum est meritum, quem tamen pro libertate christiana eligere potest, qui dono continentiae pollet.

§. XXI.

Coniugium est legitima ac *insolubilis* *vnius viri* et *vnius feminae coniunctio*, ab ipso Deo instituta, eoque comparata, ut, sobole secundum ordinem a Deo præscriptum procreata, *genus*

*genus humanum rite propagetur, regnum Dei
augeatur, (Gen. II. 20. sqq. Matth. XIX. 4.)
omnisque scortatio evitetur. (I. Cor. VII. 2.)*

§. XXII.

Ex quo sua sponte sequitur, cuncta hic
deliberato consilio sancteque esse agenda;
et quidem, ante matrimonium, liberrimum
vtriusque partis requiri consensum; item-
que consensum parentum, si liberi adhuc
sint sub patria potestate; neque minus re-
spiciendam esse iustum vtriusque aetatem,
legitimam, et a prohibitis consanguinitatis
vel affinitatis gradibus remotam, coniunc-
tionem, ac religionis conformitatem: ar-
cendos etiam esse a matrimonio, qui ratio-
ne aetatis, mentis, et corporis, ad matrimo-
nium ineundum non sint idonei: porro
concubinatum, polygamiam simultaneam,
quin et sponsalia, et matrimonia clandestina,
esse illicita: matrimonia autem, quae ad
morganaticam vocantur, et *polygamiam suc-*
cessuam inter legitima esse referenda: deni-
que *diuertia* nullo modo probari, nec vin-
culum matrimonii, extra casum adulterii,
vel similem, quo ipsum fundamentum ma-
trimonii subvertatur, dissolui posse.

§. XXIII.

Ritus nuptiales, in ecclesia christiana re-
cepti,

cepti, non solum lege generali, qua omnia ordine et decenter fieri debent, verum etiam lege ciuili confirmati, merito retinentur. In primis *benedictio sacerdotalis* contemni, intermittique non debet, nisi quis et matrimonium suum irritum reddere, et effectibus ciuilibus, qui hunc ritum sequuntur, se suosque liberos priuare velit.

§. XXIV.

Officia coniugum alia sunt *generalia*, siue *communia*, alia vero *specialia*, et, vel *marito*, vel *vxori* propria. *Generalia* sunt, ut mutuo, eoque sincero se inuicem prosequantur amore; debita coniugalia vtrinque praestent, salua castitate coniugali; fidem in matrimonio datam sanctissime feruent; et ad onera familiae ferenda, facultates suas habeant communes, iunctisque animis, consiliis, et operis, rei familiaris curam gerant. *Specialia*, et quidem *marito* propria, cui *imperium maritale* in *vxorem* competit, sunt, *vxorem* prudenter et cum mansuetudine regere, pro virili defendere ac protegere, et necessaria huius vitae pro conditione sua suppeditare: *vxori* autem propria sunt, debito honore colere maritum, eique in rebus licitis obtemperare, ac mutuum auxilium praestare.

§. XXV.

Quando in matrimonio liberi procreantur,

M

tut,

tur, altera exinde nascitur relatio inter parentes et liberos, qui in timore Dei sunt educandi. Hinc *paternum* oritur in liberos *imperium*, quo durante promptum etiam a liberis praestandum est obsequium. *Paren-*
tum itaque *officia* sunt, liberos non solum
alere, iisque de victu et amictu prospicere,
et huius saeculi thesauros colligere; verum
etiam a prima aetate veram illorum animis
instillare religionem ac pietatem, omnem-
que dare operam, ut mente et corpore va-
leant, atque ad vitam honeste sustentandam,
tale vitae genus eligant, ad quod idonei sunt,
et scientiam vel artem aliquam aptam uti-
lemque condiscant. *Liberorum* contra est,
parentes nunquam contemnere, etiam si con-
fessuerint, sed omni amore et honore eos pro-
sequi, in rebus licitis eorum dictis ac praef-
ceptis morem gerere, gratumque per o-
mnem aetatem demonstrare animum, et, si
necessitas postulet, indigentiam ac infirmi-
tatem illorum quavis ratione subleuare.

§. XXVI.

Quamuis denique omnes homines natura-
sint aequales, Deo tamen sapienter poten-
terque res hominum ita dirigente, ratione
potestatis ac dignitatis, inaequalitas qua-
dam orta est, quae etiam per consensum in-
troduci potest. Hinc in relatione ad sta-
tum familiarem, alii homines christiani
sunt

sunt domini, alii serui. Neque statum herilem aut seruilem fides christiana tollit, quae potius dominos pariter ac seruos instruit, quomodo suis recte defungi debeant officiis, quae ex fine societatis, inter dominum et seruum initiae, nempe rei familiaris domini conseruatione ac promotione, fluunt. *Domorum itaque est*, nihil a seruis exigere, quod vires illorum supereret, sed cuncta amore temperare; mercedem illis iusto tempore et accurate soluere; quae ad vitae huius sustentationem necessaria sunt, suppeditare; et animae non minus, quam corporis illorum curam gerere. *Seruorum contra est*, dominis suis honorem, obsequium, fidem, industriam ac patientiam, sincere, et vbique demonstrare, non commodi tantum cuiusdam caussa, aut placendi studio, sed in simplicitate cordis, tanquam Christo.

TABVL A SYNOPTICA.

SINGVLORVM ecclesiae MEMBRORVM STATVS
EXTERNVS triplici considerari potest respectu
§. I. videlicet

I. intuitu ipsius ecclesiae, quippe in qua sunt

1. doctores, *vbi not.*

(1) diuiso in scholasticos et ecclesiasticos. §. II.

(2) ministerii ecclesiastici institutio. §. III.

(3) ministrorum electio et constitutio. §. IV. circa quam distincte notatur

1. vocatio, eiusque variae diuisiones. §. V.

2. ius patronatus. §. VI.

3. ordinatio. §. VII.

- (4) ministerii eccles. finis et potestas. §. VIII.
 (5) ministrorum aequalitas et inaequalitas. §. IX.
 (6) eorundemque officia. §. X.
- 2) auditores, quorum officia praecipiuntur. §. XI.
- II. intuitu rei publicae, statusque politici, *in quo dantur*
- 1) imperantes; *vbi not.*
1. definitio magistratus. §. XII.
 2. origo rerum publicarum summique imperii humana, et constitutio diuina. §. XIII. XIV.
 3. munus magistratus in se esse criminis expers, et hominem christianum eo recte fungi posse. §. XV.
 4. finis magistratus, et iura maiestatica, praesertim ius circa sacra, et quae ad illud pertinent. §. XVI.
 5. imperantium officia. §. XVII.
- 2) subditi, vel ciues, *vbi not.*
1. officia eorum generalia, et specialia. §. XVIII.
 2. diversi ordines, singulorumque officia specialissima. §. XIX.
- III. intuitu familiae, statusque familiaris, *in quo dantur*
- 1) coelibes et coniuges; *Hinc*
1. de coelibum officiis, et coelibatu. §. XX. et
 2. de matrimonio agitur, *vbi not.*
 1. definitio. §. XXI.
 2. quae circa matrimonium ineundum obseruanda, quidue de concubinatu, polygamia etc. nec non de diuortiis statuendum; itemque de ritibus nuptialibus, et benedictione sacerdotali. §. XXII. XXIII.
 3. officia coniugum generalia et specialia. §. XXIV.
- 2) parentes et liberi, quorum officia enarrantur. §. XXV.
- 3) domini et serui, quorum status et officia describuntur. §. XXVI.